

**Oratio anniversaria in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensium,
ex Harveii instituto, festo Divi Lucae habita, A.D. MDCCLVI / a Ricardo
Conyers.**

Contributors

Conyers, Richard, 1707-1759.

Publication/Creation

Londini : Apud Iohannem Nourse, MDCCLVII [1757]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zkbqp7hv>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




O R A T I O

A N N I V E R S A R I A

H A R V E I A N A.






O R A T I O

AN N I V E R S A R I A

H A R V E I A N A



O R A T I O

A N N I V E R S A R I A

I N

T H E A T R O

C O L L E G I I R E G A L I S

M E D I C O R V M L O N D I N E N S I V M,

E X

H A R V E I I I N S T I T V T O,

F E S T O D I V I L V C A E

H A B I T A,

A. D. MDCCLVI.

A R I C A R D O C O N Y E R S, M. D. Coll. Med. Soc.

L O N D I N I:

A p u d I O H A N N E M N O V R S E, M D C C L V I I.

O R A T I O

ANNIVERSARIA

I N

T H E A T R O

C O L L E G I I R E G A L I S

M E D I C O R U M L O N D I N E N S I U M

E X

H A R V E I I I N S T I T U T O

F E S T O D I V I L V C A E

H A B I T A

A. D. MDCCCLVI.

A R I C H A R D O C O N Y E A R S, M. D. C O L L. M E D. S O C.

L O N D I N I :

A J O H N I A N I M N O W E R, M D C C L V I.

VIRO EXIMIO
THOMAE REEVE, M.D.
PRAESIDI DIGNISSIMO,
SOCIISQUE ORNATISSIMIS,
COLLEGII REGALIS
MEDICORVM LONDINENSIVM

HANC ORATIONEM,
ILLORVM HORTATV EDITAM,
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. D.

RICARDVS CONYERS.

VIRO EXIMO

THOMAE REEVE, M.D.

PRAESIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

COLLEGII REGALIS

MEDICORVM LONDINENSIVM

HANC ORATIONEM,

ILLORVM HORTATV EDITAM,

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. D.

RICHARDVS CONYERS



O R A T I O H A R V E I A N A.



RATORI nihil minus quam facundo, Auditores humanissimi, opus grave demandatum est; ut Collegii hujus celeberrimi Sociorum, qui sive ingenio suo, sive munificentia adornarunt, laudes eximias annuo more celebraret.

Ad

Ad hanc autem personam hodie suscipiendam nullae unquam rationes me impellere potuissent; nisi iussa vestra detrectando, quibus adeo sum devinctus, quod in Societatem vestram me adsciscere dignati estis, ingrati animi crimen subiisse viderer. Quanquam igitur infantiae meae in dicendi facultate minime sim ignarus; at quae Praefidi tamen dignissimo, quae Electoribus spectatissimis, quae cunctis denique Sociis ornatissimis, ob tantum honorem debeam, mecum ipse reputans, officium hoc pro viribus omnino exequendum esse duxi.

VESTRUM est sane, Viri clarissimi, quorum animi in Musarum deliciis, Academiis nostratibus, a primis annis enutriti, longoque rerum usu confirmati sunt, Majorum gesta recitare, ac laudes eorum pro meritis praedicare; eademque opera mentes juniorum eloquentia mulcere,

cere, et vi quadam oratoria ad persequenda istiusmodi exempla excitare et urgere. Haec quidem vestra sunt; aliorum vero officium, praeclare facta admirari, et choro dicta recinentium sese adungere et immiscere. Certissimum autem est Oratorem vestrum hodie omnino decuisse silentium, nisi vobis aliter placuisset.

EXORDIENDVM est igitur a statu, quo medicinam in patria olim primo recepistis; quae ante conditum hoc Collegium nulla fere, et vix invenienda fuit. Fidem faciunt narrationes temporum, et quae adhuc immutata restant, Constitutio regia, et Senatus deinde consultum, quae insigni vestrae Societati initium et nomen tribuerunt.

CELSVS quidem, elegans Latinitatis auctor, in praefatione sua, nusquam non fuisse medicinam censet; *siquidem etiam imperitissimae gentes*
C
herbas,

herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Divinus autem Hippocrates, in libro *De prisca medicina* disertè dicit, artem medicam neque inventam ab initio, neque quaesitam fuisse. Vterque verus; quandoquidem primis illis temporibus, *inter non multa auxilia adversae valetudinis, ea plerumque bona contigit ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiant;* his vero postea invadentibus, morborum catervae, hujusmodi morum affeculae, pedem promoventes, necessitatem artis, cum arte ipsa, paulatim attulerunt.

NISI temporis angustia vetaret, quam pari passu ab oriente occidentem versus, laboris patientiam, bonam valetudinem, et virtutem ipsam divitiae, desidia, et luxuria, expulerunt, operae pretium esset considerare; de qua re sapientes illi Romani, Cato, Plinius, et Celsus, jam olim
sunt

sunt conquesti. Tanta autem malorum turba tam animo quam corpori humano simul ingruente, de utriusque salute sine dubio actum esset; ni scientiae sanatrices, sapientiam dico et medicinam, opem suam opportune tulissent. At dolendum est tamen, in optimis rebus malas artes, heu! quam saepissime sese immiscere. Sacrarum enim rerum Antistites, mundanis inhiantes, densa caligine orbem occidentalem obvolverunt; cum ingenium et doctrina, si non religioni, suo saltem imperio officere videbantur. Hinc, ut solet, in res suas nimis intenti, bonarum artium januam occluserunt, usque dum ipsi tandem claves perdiderint.

HISCE denique gradibus evenit, ut seculum circiter octavum Europa nostra occidentalis tenebris plus quam Cimmeriis tota fere occultaretur. Taceo Academiam Parisiensem a Carolo

magno, imperii potito, fundatam; taceo Oxoniensem, sub Alfredo nostro; taceo alias passim in Europa, per secula insequentia, Scholas potius, quam iustas Academias, exortas: cum certissimum est artes liberaliores, sola theologia excepta, tunc temporis in Africa fere inter Mauros, gentem acutissimam, delituisse; donec in Hispania, gladio jugulari paululum quiescente, caput exerere inciperent.

QVOD ad medicam facultatem attinet, inter monachos quidem et eremitas hinc inde colebatur, qui ad populi favorem et admirationem conciliandum praecipue utebantur. Nec deerant, qui more veterum Aegyptiorum et Asclepiadarum, medicinam a patre ad filium cum avitis agris, tanquam haereditario jure, possidentes factitarunt. Quidam etiam, ut fructu uberiore artem profiterentur, astrologiam et uromantiam addiderunt.

Quin

Quin et alii, quorum fundi solo non constabant, circumforaneos et agyras agentes, artem magicam et praestigiatricem, magno scilicet aegrotantium bono, exercuerunt.

HIC status rerum nostrarum, tam in Anglia, quam in reliqua fere Europa fuit, exceptis tantum paucissimis in Hispania et Italia Scholis; cum Graeci, Constantinopoli a barbaris capta, in Italiam, non sine Summi Numinis consilio effugientes, bonas literas et medicinam veterem secum deportarunt. Sic tandem evenit, sub tribus praeclaris Principibus, Nicolao quinto Papa, Cosmo et Laurentio *de Medicis*, ut artes humaniores sedem in Italia fixerint, et lux earum Europae nostrae occidentali effulserit. Quales autem ortus habuerint, ac quantos viros produxerint, divitis soli Scholae nobiliores, et praecipue magna illa Florentina, commemorare, cum
jam

jam aggressus sit, qui optime poterat, Vir clarissimus, Praelector Crounianus, in praesentia supersedebo.

INIQVVM est, ne dicam scelus nefandum, integras regiones vi et armis percurrere, easdemque ferro et igne devastare; populos vero innocentes, vel saltem querelarum et vitiorum delirantium regum inscientes, plectere. Dum interim victor ipse raro contentus est fines imperii sui quam latissime extendisse; nisi cunctas etiam gentes, sibi subiectas, legibus suis devinciat. Attamen jus civile, quam optime institutum, externas tantum actiones hominum dirigit; et multa sunt in vita humana, quae cognitionem ejus effugiunt; ut perbene cum iis agi videatur, quorum vitae et facultatum securitati, una cum libertate, legibus suis satis provisum sit. Quam

in Microcosmum, hoc est, ipsum hominem, potestas cenferi debet; quam leni mollique salutaris disciplinae ductu, non vi et armis administrat? Hinc sapientia, omnesque liberales artes, vera rationis progenies, ortum habuerunt; quibus mens humana bonis maximis, diuturnis, et extra vim fortunae positis, ditatur. Neque ea de causa minime commendantur; quod, qui possident, non sibi solum retinere cupiant, sed cum aliis communicare conentur. Hinc nonnulli rudes et ignaros instituendi munus in se susceperunt, alii in publicam utilitatem exercerunt, alii denique patrocínio suo et beneficentia promoverunt; quorum singulis laus sua atque honor perennis jure debetur. Missis autem eorum laudibus, qui literas in Europa instauration, ne in messem alienam falcem immittere videar; qui Linacrum nostrum ad salutem Britanniae,

tanniae, ab orbe toto penitus divisae, instituerunt, nequaquam omitti debent.

CANTVARIAE is natus, et literis a doctissimo Sellingo primo nutritus, Oxoniam petiit, atque in Collegii Omnium Animarum sodalitium cito receptus est. Scientiis autem in clarissima Academia imbutus, non vero satiatus, in Italiam, fontem illum omnis politioris literaturae uberimum, sitibundus transiit; ubi non tantum optimos et praestantissimos doctores nactus est, Demetrium Chalchondylam et Angelum Politianum Florentiae, ac Romae deinde Hermolaum Barbarum; sed nobilem etiam patronum, ne dicam amicum, Laurentium Medicaeum.

Cum hisce igitur rationibus omni fere literarum genere mentem instruxisset, et Academiae administrationes moresque politissimos apud externos didicisset; in Angliam redux, quibus potissi-

potissimum modis in patriae commodum tanta haec bona converti possent, Vir prudentissimus pariter ac scientissimus secum perpendere coepit. Dum haec autem medicaretur, onus gravissimum, tantisque solummodo humeris aptum, ei injunctum est; cum jussu regio principum nostrorum valetudinis simul et institutionis cura ipsi committeretur. At intra hos limites praestantissimum suum ingenium, et doctrinam in singulis fere artibus liberalibus eximiam, minime cohiberi passus est. Sed cum bono humani generis se natum existimaret, omnibus, quoad licuit, vel maxime distantibus, prodesse voluit; quod scriptis suis potissimum consequi posse, recte judicasse videtur. Haec enim in lucem edita, quam grata et accepta essent universo erudito orbi, non necesse est hic commemorare; cum temporis annales, et doctorum plurimorum laudationes, id abunde testentur.

DOLVIT autem Vir clarissimus rudem et incultam, quam leviter perstrinximus, in Anglia sua medicinam; neque remedium ullum certius ipsi videbatur, quam quod tam bene cefferat in Italia, institutio nempe academica, et medicinam profitentium, qui de re sua communi coëuntes deliberarent, Sodalitium. Priori itaque duabus praelectionibus, una Oxonii, altera Cantabrigiae, institutis prospexit. Posterius autem, regio favore, et magni Wolfeii adjumento, feliciter consecutus est; medicis quibusdam clarissimis, qui tunc temporis Londini versabantur, in novam istam Societatem adscitis. Hisce igitur initiis amplissimum hoc Collegium ortum debet. Attamen quanta cura et aequitate opus perfecerit, ostendunt Constitutio ejus et Leges; de quibus nihil amplius dicere opus est, quam quod ad artis dignitatem, bonumque omnium publicum, pariter institui videntur.

dentur. Manet itaque Linacro nostro is honos, ut inter legum latores optimos nomen ejus non immerito reponatur; cujus laus et gloria eo major est habenda, quanto literatorum communitas liberalis cuilibet hominum vulgari anteferri debeat.

INGENIO et ordine proximus Ioannes Caius laudandus venit; qui ex Cantabrigia in Italiam peregrinatus, praeclaris artibus, quibus tunc florebat, mentem excoluit, Baptistae Montani disciplina. Bononiae autem doctoratus lauro insignitus, in eadem Academia Graecas literas ipse publice docuit. In patriam deinde reversus, quantum huic artibus, quibus inclaruit, ingenuis praestiterit, nulla unquam reticebit aetas. Quod ad nos attinet, Domicilium et sedes proprias, a Linacro acceptas, ulterius ornare studuit; dignitatis et auctoritatis Insignia addidit; Annalium libros

primus conscripsit; et in perpetuam successionem, vel supplementum candidatorum, Scholam medicam in Cantabrigia sua fundavit.

ACCEDVNT jam confertim eo numero Collegae et Benefactores clarissimi, ut ad laudes cujusque pro meritis praedicandas tempus huic orationi assignatum minime sufficiat. Transeo igitur Bartlottum, doctissimum et expertissimum senem fere nonagenarium; Butteum, equitem auratum, medicum regium, et, quod majus est, Caii patronum; Freemannum, Sigilli largitorem; Caldwellum et praenobilem Baronem *de Lumley*, Praelectionum chirurgicarum fundatores munificentissimos; Iamesium quoque medicum regium, et usque in extremam Russiam, quasi alterum Hippocratem, non una vice arcessitum; Gulstonum denique eruditissimum, et Praelectionum pathologicarum conditorem beneficum. Hos omnes

nes quidem, et plures alios, viros insignes, invitus praetermittere cogor; dum ad Festi hujus diei auctorem celeberrimum, ipsum Harveium, festinat oratio.

QVĪSNAM autem tanto viro dignas laudationes unquam proferre poterit? Quanto etenim Archiae olim poëtae praecelluit philosophus noster, tanto vel Cicerone ipso facundior, Festo hoc die, adesse debuit Harveianus orator. Stet itaque laus Harveii magni, ubi solum stare conceditur; in operibus nempe plus quam aureis, *De circulatione sanguinis* et *De generatione animalium* libris; atque in doctrina exinde hausta, quae in ultima orbis hujusce secula usque sit duratura. Vix enim per tramites suos diutius permeabit vivens et igneus sanguis, quam secum una deferet Harveii, circuitus ejus inventoris, famam.

Vir hic praeclarissimus in Cantio natus, et Al-
mae

mae Cantabrigiae literis imbutus, cum in nobili Academia Patavina per quinquennium medicinae sedulo se dedisset, laurum deinde artis suae meritissimo comparatam domum reportavit. Postea vero medici regii, et professoris Lumleiani officium Londini conjunctim praestitit; eodemque tempore fociis suis intra has aedes argumentum *De sanguinis circuitu*, nuper a se tunc invento, exponere solebat. Hic autem loci minime reticenda fors est humana; virum nempe clarissimum, qui famae perennis alis evectus, scientiae nostrae fastigium attigit, exercitium ejusdem apud populares suos, post editos libros immortales, sensim perdidisse. Absit autem, ut exemplo tam infelici a laboribus in publicam utilitatem edendis, Socii doctissimi, vos deterreamini; longe alia promittit aetas haec cultior, et minime ingrata. Quod vero ad ipsum Harveium attinet, eo instructior

evafit refpublica, magnum deinde virum totum occupans; donec tandem dierum et honoris fatur, de vita decedens, Vos bonorum et ingentis gloriae haeredes locupletiffimos fecerit. Tanto igitur nomini facer hic dies honore debito celebretur; et prout quifque potis eft, virtutes tantas imitari ftudeat.

Vox et dies deficerent, Auditores ornatiffimi, fi omnium, quibus debetur, laus foret dicenda; quorum etiam nomina, annalibus famae amplioris confignata, enumerare quidem nequeo. Nobiliffimum Dorcefftriae Comitem jaëtat Bibliotheca inftitutiffima; Aedes ipfae redemptae, inftauratorem Hameium; cerebrum, et nervi, Wiliffium magnum; hepar, intestina, et natura vivens, ut nuperus vefter Orator doctiffime oftendit, Gliffonum; glandulae vindicatae, propugnatores Whartonum; cor, vitae principium,

um, Lowerum; oeconomia etiam totius corporis, doctissimum Charletonum. Quantum autem Sydenhamo medicina universa debeat, qui Hippocraticam nobis restituit, omnes uno ore confitentur. Sero tandem febres intermittentes, quae Protei similes in varias formas se convertunt, domitae Mortono paruerunt; penetralia etiam sua eidem detexit phthisis, et obserare docuit. Gaudent Musae suo Garthio, cui Delius Apollo artem suam et carmina dedit. Ab Halaeo fugata in imis inferis Alecto, cum teterrimis suis sororibus, sese occultat. Elysio Pellettus fruitur, reconditoris literaturae vir, et antiquis moribus praeditus. Comitatur usque excelsi animi Freindus, senator, medicus, et Festi hujus diei instaurator. Sloanio omnes suas divitias pandit natura, animumque infinita sua varietate mulcendo ad extremam et beatissimam senectutem per-

perduxit, donec monumentum aere perennius in patria stabiliendum ipse parasset. Iurino, ob formam et vitam servatam, sedes caelestes consignarunt Venus et Hygeia.

QUALIS autem aures invadit luctus insolens, dum Meadum commemoro; de quo, si fas esset, prorsus filere, quam pauca dicere praestaret. Ille usu pariter diuturno, et scriptis elegantissimis, artem nostram salutarem multum promovit. Summoque ingenio praeditus, non tantum in omni literarum genere ipse versatissimus erat, sed literatorum etiam fautor eximius; cujus nomini tota eruditorum cohors ultro assurgit. Quapropter *Literarum atque Artis medicae Statoris, et Vindicis perpetui*, elogium, sub pulcherrima ipsius imagine, honori ejus in hisce aedibus a Socio doctissimo nuperrime dicata, jure optimo ei tributum cenferi debet.

E

VENIAM

VENIAM hanc, Collegae amicissimi, mihi jam concedetis, ut magni Radclivii manibus parentare demum aggrediar. Hoc Viri egregii merita, hoc sanguinis proximitas, hoc grati animi affectus omnino postulant. Quod vester enim sum, Radclivio in primis acceptum referri debet. Quantum autem vir esset, et quanta ejus gloria, non meum est dicere; dicant, qui optime possunt, sua Oxonia, et Collegium suum Londinense. Is autem, five literis et doctrina instructus, five naturae quadam praestantia et ingenii sagacitate imbutus, universam medendi facultatem mente complexus est; nec minori sua laude, quam aegrotantium salute, exercuit. Neque mirandum esse debet, si ad tantam famae celebritatem pervenerit, ut omnes morbo aliquo laborantes felices se haberent, qui opem ejus et consilium quovis modo obtinere possent.

Gloria,

Gloria, ut princeps oratorum Tullius descripsit, *est illustris et pervagata multorum et magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus humanum, fama meritorum.* Magna est itaque Radclivii gloria, in omne aevum duratura, nobisque hodie praedicanda; qui Linacri et Harveii vestigiis insistens, Collegio nostro tam ample providit. Statuit enim, ut Oxonienses sui, singulis quinquenniis, binos medicae artis studiosos, stipendiis fatis amplis supeditatos, ad exterarum colligendas divitias, easdemque ad pedes vestros exonerandas, mitterent. Hinc quidquid penitus scrutaverit Schola Leydenfis Hippocratica, a magno Boerhaavio demum instaurata; quidquid Halensis, duobus Hoffmanno et Stahlio; quidquid Gottingensis regia, sub Hallero; quidquid aliae, quarum fama apud posteros unquam invaliditura sit:

illud omne, hac Radclivii provifione, in Britanniam noſtram apportandum jure maximo expectare licet. Monuit olim Hippocrates, ut, qui medicinae operam dabant, terras alienas viſerent; idem ſtatuit Radclivius. Qua in re naturam, communem omnium magiſtram, ſecuti eſſe videntur; quae rudem agricolam plantas et ſtirpes ad ultimum perfectionis gradum educere, ſolum mutando, docuit. Sciunt autem omnes, quo peritior apis ſedula ad delibandos flores exeat, eo mellis et cerae copiis majoribus cellam deinceps ditaturam.

FELICES igitur ter et amplius, qui bonis literis prima aetate imbuti, in patriis deinde Academiis ſcientiis univerſalibus, et conſuetudine optimorum, mentem expoliverint; poſtea vero ad artem noſtram progreſſi, in ea ipſa, et reliquis ancillantibus, penitus inſtituti ſint. Effecit enim ſapientia divina, ut majorum noſtrorum ſtudio et indu-

industria vera tandem sit, ac minime conjecturalis, scientia medendi; quippe quae suas habet regulas, et axiomata, multiplici experientia et perscrutatione humani corporis demum stabilita. Haec ipsa aut rite sequitur quisque; aut alioquin, heu! quanto aegrorum periculo, propria condit.

SED haec junioribus dicta funto. Vos autem, Collegae doctissimi, Tuque in primis, quem omnes colimus, Praeses ornatissime, illustris hujus Societatis commodis invigilare, ut facitis, pergite; quo nihil ad laudem vestram praeclarius, nihil ad medicinae dignitatem praestantius, nihil denique ad salutem publicam accommodatius, facere potestis.

F I N I S.

indulgetis vobis tandem in, ac minime collectum-
 lis, scientia incedendi; quippe quae inus habet
 regulas, et axiomas, multiplici experientia et
 peritratione humani corporis deum fidei.
 Haec ipsa aut tunc sedentur omnes; aut aliopar,
 heu! quanto aegrotum periculo, propria condit.

SED haec iudicibus dicta sunt. Vos autem,
 Collegae doctissimi, Tunc in primis, dum omnes
 colimus, Praeceptis ornati, illustris huius Socie-
 tatis commodis inuigilate, ut facitis, pergit; quo
 nihil ad laudem vestram praestantius, nihil ad me-
 dicinae dignitatem praestantius, nihil denique ad
 saluam publicam accommodatius, facere poteritis.